QUAESTIONES DE CONSILIO, QUO THUCIDIDES HISTORIAM SUAM CONSCRIPSERIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

UNIVERSITATIS

FRIDERICIANAE HALENSIS CUM VITENBERGENSI CONSOCIATAE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

MENSE JULIO MDCCCLXXXVII

EDIDIT

CAROLUS BOLTZ

UECKERMUENDENSIS.

HALAE SAXONUM.

TYPIS PLOETZIANIS (R. NIETSCHMANN).

MDCCCLXXXVII.

MATRI CARISSIMAE

SACRUM.

De consilio, quo Thucydides historiam suam conscripserit, uberius disserere constitui, quamquam omnes non dubium esse putant, quin summus ille rerum auctor totum, quod dicitur, bellum Peloponnesiacum primus uno nomine, quod legimus in prooemio, bellum Peloponnesiorum et Atheniensium apellaverit. Itaque, cum vir doctissimus F. W. Ullrichius commentatione, quae inscribitur: „Beitraege zur Erklaerung des Thucydides. Hamburg 1846“ probatum ivisset non ita unum et perfectum scriptoris opus esse habendum, ut omnia, quae de bello ipso dicerentur, ad totum bellum per viginti septem annos gestum referri possent, sed certe, quae legerentur inde a libro I usque ad medium fere librum IV (circ. ad IV 48), ad solum respicere bellum Archidamium, factaque esset ex hac sententia magna dissensio partim approbantium et de suo aliquid addentium vel mutantium, partim improbantium et omni modo renitentium, nemo tamen adhuc exstitit, qui, quod esset Thucydidis de toto bello iudicium, omnino in dubium vocandum et singillatim explicandum putaret; quo factum est, ut omnes, qui Ullrichii sententiam aut probare aut redarguere studebant, in hanc solam quaestionem animos intenderent, quo quamque historiae partem tempore scriptor composuisset, cum alii eas historiae partes, quae ab universo eius consilio abhorrere videntur, ante totius belli exitum litteris iam consignatas fuisse contenderent, alii, qui semper eodem consilio scriptorem ductum iudicabant, post totum bellum gestum opus conscriptum esse asseverarent vel ita retractatum, ut prioris temporis nullum iam vestigium appareret. Atque illi quidem facere non poterant, quin scriptorem opus suum plane imperfectum necdum perpolitum nobis reliquisse faterentur, quin etiam sunt, qui neglegentiae eum accusent, hi contra omnia

paene perfecta esse volebant, nec quidquam de scriptoris laude detrahendum. Quae cum ita sint, quia adversariorum sententiae nullo modo inter se conciliari possunt, lis ab ea quaestione exorta per multos annos doctissimorum virorum disputationibus continuata nondum sedata est, nec spes videtur fore umquam, ut componatur.

Sed si mihi contigerit, ut ostendam scriptorem totum bellum, quamquam inter se cohaerens per viginti septem annos gestum iudicaverat (*ὁ πόλεμος* vel *πᾶς ὁ π.*), tamen eodem, quod legimus in prooemio, nomine non comprehendisse (*ὅδε ὁ πόλεμος* vel *οὗτος ὁ π.*), sed, quaecumque eius modi exempla inveniuntur, tum demum a grammaticis interpolata esse, cum sententia de universo bello uno nomine appellando fortasse in rhetorum scholis nata et propagata esset — nam ne multo quidem post Thucydidis memoriam quemquam bellum vocavisse Peloponnesiacum Ullrichius satis luculenter demonstravit [1]) — et eis erit satisfactum, qui scriptorem neglegentiae crimine liberatum volunt, et eis, qui singulas belli partes, non solum bellum decennale, sed etiam expeditionem Siciliensem ut peculiares esse descriptas autumant; etenim, si verum est, quod infra explicabitur, sequitur, quaecunque de solis belli partibus praedicantur, sive haec ante sive post totius belli exitum conscripta erant, non posse tribui aut negleglentiae scriptoris, aut ex eo, quod opus suum nobis plane imperfectum reliquerit, explicari et necessario omnia, quae ex his locis de tempore sunt conclusa, ad irritum cadere.

Sed, priusquam nostram sententiam probemus, accedamus ad eorum opiniones refellendas, qui putaverunt Thucydidem re vera totum bellum inter Peloponnesios et Athenienses gestum esse iudicavisse.

Ac primum quidem F. W. Ullrichius, ut supra iam vidimus, ostendit multos esse in prioribus quattuor libris locos, qui non nisi ad bellum decennale possent referri, et ex hac re et maxime, quia duo inveniuntur prooemia I, 1 sqq. et V, 26, conclusit Thucydidem post pacem Nicianam primum solum

---

[1]) comm. s. l. p. I: „Die Benennung des pelop. Kr. durch Thucydides. p. 3—61.

descripsisse bellum Archidamium usque ad medium fere l. IV, ubi, cum maiorem belli vim ingruentem videret, rerum eventum exspectans scribendi finem fecisset, toto autem bello confecto, cum omnia, quae per viginti septem annos gesta essent, unum esse bellum perspexisset, denuo ad res narrandas se convertisse, et, quae inchoata reliquisset, perduxisse, quatenus repentina morte abreptus potuisset; hanc sententiam a multis probatam alii ita mutaverunt, ut omnia usque ad V, 20 vel V, 24 uno tenore scripta putarent. Sed, utut res se habet, quamquam causis ab Ullrichio eisque, qui eum secuti sunt, allatis in universum assentiendum iudico, tamen vix probari potest, quod illorum sententia efficitur. Thucydides enim, quamquam annorum enumerationibus et nonnullis locis sparsis per libros VI et VII bellum uno nomine appellat, tamen tam neglegenter in historia conscribenda versatus est, ut ne ea quidem, quae maxime ab universo eius consilio abhorrent, secunda manu removeret; quod verum esse eo minus concedemus, quia scriptor, si vitae eius finem constituimus inter annos 399 et 396 a. Chr. n. [1]), cum inde ab anno 431 res tractaret, per longum temporis spatium nulla fere rei publicae cura distractus operi conscribendo laborem impertivit. Attamen, si constaret auctorem, quod elaboraverat, seposuisse nec quidquam amplius curasse, quae est sententia Ullrichii, etsi hoc mirum et ingenioso diligentique homine paene indignum iudicaremus, tamen acquiesceremus; sed exstant certa quaedam exempla, quibus apertum fit multa eum operi iam de bello Archidamio consripto addidisse, ut I, 93, 5; II, 65, 5—13, deinde, quod A. Kirchhoffius probavit, monumenta indutiarum IV, 118, 119 [2]), pacis V, 18, 19 [3]), foederis V, 23, 24 [4]) si quae legimus inde a. c. 20 l. V usque ad c. 24, ante totius belli exitum iam conscripta fuisse iudicamus. Haec autem et reliqua V, 47; 77; 79; VIII, 18; 37; 58 a Thucydide

---

[1]) cf. quae disputavit Ullrichius ad II, 100 p. 145 sqq.; ad III, 116 p. 92—94; ad VIII, 68, 2 hellen. Kriege. Hamburg 1868, adnot. 160.

[2]) Mon. Ber. d. berl. Ac. d. W. 1880 p. 834 sqq.

[3]) S. Ber. d. berl. Ac. d. W. 1882 p. 909 sqq.

[4]) S Ber. d. berl. Ac. d. W. 1883 p. 829 sqq.

abiudicanda et editori operis Thucydidei esse assignanda, ut putat Wilamowitzius [1]), quia „constans historicae artis regula est, totidem verbis non inseri, quae alieno stilo scripta sint“, id non concedendum esse existimo, cum Thucydides non sit e numero eorum, qui consuetudini obnoxii sint, sed multa primus in rebus scribendis novaverit. Tum fortasse I, 97, 2 [2]); II, 100, 2 et, si forte Cwiklinskio assentimur [3]), etiam I, 1, 2—22 extr., non solum I, 97, 2, sed totam, quae dicitur, pentecontaetiam c. 97—118; II, 20; 48—51, cum c. 100, 2 una c. 95—101; III, 82; 83; 86, 4; 93, 2; IV, 48, 5; 74, 4; 81, 2 et 3; 108, 4 res denique in Sicilia gestas III, 86; 88; 90; 99; 103; 115; 116; IV, 1; 2; 5; 24; 25; 46; 48; 58—65; V, 4—5 et omnes orationes posteriori scriptoris manui attribuemus. Apparet igitur Thucydidem semper legentem relegentemque opus suum retractasse et correxisse. Quid vero dicemus de altero illo prooemio V, 26, quo, ut omnes ceteri, sic etiam, qui Ullrichio sunt astipulati, vehementer vexantur? Qui enim explicari poterit, cur Thucydides post totius belli exitum novum prooemium fecerit? Etenim, si re vera bellum unum et uno nomine appellandum putabat, cum priore prooemio probare vellet bellum inter Peloponnesios et Athenienses gestum omnibus, quae antecessissent, maius ac memorabilius exstitisse, certe hoc ei erat probandum non de solo bello decennali, sed de toto per viginti septem annos gesto; quanto autem aptius hoc potuit auctor, si voluisset! Itaque non defuerunt, qui in libro I ab Ullrichii sententia recederent, quamquam in ceteris libris cum eo consentiunt, velut Cwiklinskius, quae legimus inde a c. 1, 2 usque ad c. 22 extr., ad totum bellum spectare arbitratur; sed hanc opinionem plane reiciendam censeo; omnino enim vix cogitari potest, qui toto bello confecto alterum illud prooemium scripserit, quo primum, quid de universo bello iudicet, exponit, eum hoc non oblitterato iam priore in prooemio totum bellum teti-

---

[1]) Curae Thucydideae. Ind. schol. etc. Goettingen 1885 p. 18.

[2]) cf. quae scripsit H. Dielsius, Rh. M. vol. 31 p. 52 sqq.

[3]) De temp. quo Th. pr. h. s. p. comp. diss. Berol. 1873 cf. Hermes XII p. 23—87.

gisse; deinde ipse quoque Cwiklinskius gravissimum Ullrichii sententiae inde petit argumentum, quod, qui in prooemio et sequentibus libris usque ad V, 26 nihil de consilio suo tam longe ab omnium aequalium sententia recedente explicaverit, is iam ab initio ad totum bellum respicere non potuit; quid igitur dicemus, cum scriptor tamen in tota archaeologiae, quae dicitur, expositione nihil de universo bello apertius disseruerit, quo omnis omnino dubitatio eximeretur? Itaque iam per se veri simile est, cum duo sint prooemia, alterum ad bellum decennale, alterum ad universum spectare; tamen, cur ea non in unum contraxerit scriptor, non intelligimus; eorum certe opinionem, qui hoc factum esse putant, quia opus non ultima lima perpolitum sit [1]), vix est, cur afferamus; quis enim, qui litteris mandat, quae postea deleturus est, iterum nomen suum professus se esse eundem atque eum, qui priora tractasset, pronuntiavit (*Γέγραφε δὲ καὶ ταῦτα ὁ αὐτὸς Θ. Ἀ. κτλ.*)? At, dixerit quispiam, timebat, ne gravitati prooemii noceret neu in explicanda sua sententia res ante ipsas res gestas narraret. [2]) Itaque opus ne ultima quidem lima perpolitum hac macula liberatum esset; quod a veritatis specie longe abesse arbitror; neque enim prooemii gravitati nocuisset auctor, si dixisset se omnia, quae gesta essent usque ad captas Athenas, unum putare bellum, nec narrationis tenorem interrupisset, si satis habuisset nos ad res postea depingendas revocare. Prorsus igitur non est, cur scriptor alterum illud prooemium cum priore non in unum contraxerit; sequitur consilio eum haec duo fecisse et bellum Archidamium distincte a ceteris separavisse; concludemus igitur Thucydidem totum bellum uno nomine non comprehendisse, et falsam esse eorum opinionem, qui bellum Archidamium seorsum conscriptum neglegentiae eius attribuerunt.

Sed si eodem, quo ceteri, qui Ullrichium secuti sunt, nitimur fundamento, non mirabimur Classenum, Stahlium,

---

[1]) sic dicit Glogavius Die Entdeckungen des Thucyd. über die älteste Gesch. Griechenl. Progr. von Neu Mark in W. Pr. 1876 p. 31.

[2]) cf. Ullrichium p. 58 et 59. Classenum l. I ed. 1873 proll. p. LI et LII, Herbstium Phil. 40, p. 301 sqq.

Herwerdenum aliosque et doctrina et ingenio praeditos viros quidvis potius molitos esse, ut Ullrichium redarguerent, eo nimirum consilio, ne Thucydidem hominem neglegentissimum iudicaremus; hi autem, cum Scyllam vitare studeant, in Charybdim irruisse videntur; ea enim, quae ab Ullrichio disputata sunt, minime diluerunt, et idem illud alterum prooemium maxime eis officit; nam, cum constet ne multo quidem post scriptoris aetatem quemquam totum bellum uno nomine comprehendisse, qui potuit, priusquam sententiam suam explicaret, quod ignotum erat, ut omnibus notum ponere? Accedit, quod is, qui iam priore in prooemio se totum bellum descripturum profitetur, ei certe non est, cur denuo nobis promittat (*Γέγραφε δὲ καὶ ταῦτα κτλ*): nec potest intelligi, cur idem dicat se etiam ea (*καὶ ταῦτα*) quae sequantur, tractaturum esse, cum antea iam se omnia adumbraturum pronuntiaverit, nec magis, cur se esse eundem atque eum, qui priora tractaverit, testificetur, et ea repetiverit, quae de narratione per aestatem et hiemem instituta iam in II, 1 dixerat. Tam multa igitur insunt in Classeni et eorum, qui hunc secuti sunt, sententia, quae ferre non possumus, ut reicere eam vix dubitemus.

Mediam autem viam ingressus L. Herbstius [1]) omnes difficultates evitasse sibi visus est, et, quae maxime sibi repugnant, Ullrichii et Classeni sententias ita coniunxisse, ut illi largiretur bellum Archidamium seorsum esse descriptum, huic autem concederet de neglegentia scriptoris non esse cogitandum, sed iam ab initio totum bellum uno nomine comprehensum esse; putat igitur inde a l. II scriptorem consilio solum bellum decennale tractavisse, libro autem primo et nonnullis ceterorum locis totum bellum tetigisse. Sed, si libro primo de toto bello, libris sequentibus autem de solo Archidamio agitur, sit aliquid necesse est, quo aperte totum bellum ab eius parte distinguatur; quod invenisse v. d., quamvis sagaciter inquisiverit, haud scio an nulli facile persuaderi possit. Judicat enim, quod in l. I semper legitur *ὅδε ὁ πόλεμος*, in sequentibus exceptis paucis locis *ὁ πόλεμος ὅδε*, illud referen-

[1]) Phil. 38 p. 505 sqq.

dum esse ad totum bellum, hoc ad decennale; id autem non probabile esse apparet, et quia maxima ex parte infirmissimo nititur fundamento, singulis annorum enumerationibus, in quibus sollemnis clausula (*καὶ . . . ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα τῷδε, ὃν Θ. ξ.*) per totum fere opus de universo bello dicta occurrit, et quia nimia subtilitate excogitatum est. Quod vero nos delegat v. d. ad II, 1 et ibi bellum decennale toti bello opponi arbitratur, eum in errorem incidisse argumentis satis certis potest demonstrari; nam cum antea nihil de toto bello apertius dictum sit, quis credere possit verbis l. I, 1 et l. II, 1 alia bella designari, ac non potius post prooemium et maiores digressiones ad ipsas res scribendas aggressum esse auctorem? deinde, si bellum decennale seorsum tractavit scriptor, idem etiam ceteris de bellis ei faciendum erat, quod maxime pugnat cum L. Herbstii sententia; tum si illud *ξυνεχῶς* proprie bello Archidamio tribuitur, quid dicemus de verbis *ἐν ᾧ οὔτε ἐπεμίγνυντο ἔτι ἀκηρυκτεὶ παρ᾽ ἀλλήλους*, quibus aperte nulla oppositio inesse potest? ineptum eium videtur, quod omnium bellorum inter Graecos gestorum commune erat, cum commercium non nisi per caduceatorem fieri posset, id de bello decennali proprie praedicare; quod recte sentiens v. d. his verbis spatium illud octoginta dierum interiectum inter invasionem in Plataeas et Atticam factam significatum esse vult. Sed apte iam Meyerus [1]) monuit hoc vetare particulas *οὔτε—τέ*, quibus, quae tempore diversa sunt, non designantur, et vix posse cogitari bellum ita esse distinctum, ut alteri parti octoginta dies, alteri decem fere anni assignarentur. Hanc igitur quam L. Herbstius secutus est, rationem, ut difficultates tolleret, non probandam iudico.

Sed novam quandam explicationem Helmboldius [2]) protulit, qui non neglegentia, sed consilio scriptoris factum contendit, ut bellum Archidamium seorsum adumbraretur; nam

---

[1]) Qu. tt. Th. h s. pp. conscr. diss. Jen. 1880 p. 4 et 5.

[2]) Ueber die sucessive Entstehung des thucyd. G. Werkes. 1. Der zehnj. Krieg. Erster Teil. Unters. der Beweisstellen. Progr. Gebweiler. Colmar 1876.

hoc et suo prooemio et sua conclusione comprehensum esse, ad quod res postea narratae ita accederent, ut ad Thucydidis opus Theopompi et Xenophontis libri. Atque hoc quidem in universum concedo, tamen miror eum ipsum quoque putavisse bellum a scriptore Peloponnesiacum esse nominatum.

Expeditionem vero Siciliensem aeque ac bellum decennale ut peculiarem historiae partem fuisse conscriptam L Cwiklinskius affirmat, [1]) atque hoc mihi probavisse videtur; sed, quod ab eadem, qua ceteri, sententia profectus id non posse explicari censet, nisi ita, ut dicat Thucydidem libros VI et VII conscribentem nondum perspexisse expeditionem Siciliensem esse partem totius belli, sed postea operi de bello Archidamio, Mantineensi atque Epidaurio, Deceleico, conscripto inseruisse et tam neglegenter quidem inseruisse, ut adhuc multa vestigia apparerent, hoc vix ferendum est. Nam quivis potuit intelligere, cum ipsa illa expeditione adducti Lacedaemonii in Atheniensium fines invasissent et magna calamitate Atheniensibus illata denuo maior belli vis exstitisset, hanc expeditionem tam arte cum bello Deceleico cohaerere, ut plane ea disiungere molestissimum esset; et ipse auctor expeditiones iam ante in Siciliam factas cum bello coniunxit, ut nullo modo hanc segregare posset. Illas autem, quasi nihil ad bellum pertineant, primo non tractavisse Thucydidem, quis queat Cwiklinskio concedere? Miror sane virum tam sagacem omnino ad tales conclusiones potuisse deduci, cum ipsa prima verba l. VI apertissime eum redarguant, quae non possunt intelligi, nisi res in Sicilia gestas iam ante scriptor narraverat; atque haec ne postea quidem addita esse queunt, quia gravissimum Cwiklinskii sententiae tenent argumentum; opponitur enim novum bellum antecedenti verbis: *οὐ πολλῷ τινι ὑποδεέστερον πόλεμον ἀνῃροῦντο ἢ τὸν πρὸς Πελοποννησίους*. Itaque illud quidem, quod voluit, demonstrasse mihi videtur v. d., tamen falso a falsa opinione profectus conclusit hoc neglegentiae scriptoris imputandum esse; nam ipsis verbis s. l. procul dubio cognovimus consilio nostrum hanc expeditionem a ceteris belli partibus

[1]) Hermes vol. XII p. 23—87.

disparasse et ut peculiarem descripsisse. Quod vero argumentum ex altero illo prooemio V, 26 petivit, id perverse adhibuit male intellecto illo capite, ut postea explicabo.

Sed iam satis abunde demonstrasse mihi videor, quamvis sagaciter viri docti in opus Thucydideum inquisiverint, tamen eodem quod saepius notavimus, fundamento nixi magis difficultates sibi parasse quam solvisse. Itaque, quo omnes adhuc quaestiones paene ad irritum ceciderunt, hoc in dubium vocemus et quaeramus, num omnino Thucydides totum bellum uno nomine sit complexus.

Quaestio autem mihi ita instituenda videtur, ut prius, quod est summum, disseram de V, 26 et singulas totius belli partes ut peculiares esse descriptas ostendam, tum ea, quibus bellum uno nomine comprehenditur, interpolata esse demonstrem, dico singulas annorum adnotationes et locos haud ita multos VI, 17, 5; VII, 56, 4; VII, 87, 5—6. Haec si probata erunt, nihil in summi scriptoris ingenio desiderabimus. Transeamus igitur ad alteram quaestionis partem.

Pars II.

Iam supra succincte exposuimus alterum illud prooemium V, 26 non posse neglegentiae scriptoris imputari, ita ut, si ultimam manum operi admovisset, hoc deleturus et cum priore in unum contracturus fuerit, contra ex eodem conclusimus consilio auctorem bellum Archidamium a ceteris disparavisse. Itaque, quod perfecerat, opus aut edendum ei erat, aut, si non foras dare volebat, sed cum novo opere coniungere, explicandum, cur non seorsum edidisset, sed cum novo opere uno volumine esset complexus; causa autem non poterat esse haec, quod totum bellum uno nomine designandum iudicabat (*ὅδε ὁ τόλεμος* vel *οὗτος ὁ π.*, sed tantum inter se cohaerens (*ὁ πόλεμος* vel *πᾶς ὁ π.*); illud enim si censebat, omnino novum prooemium non debebat facere, sed cum priore coniungere, quo de magnitudine belli inter Peloponnesios et Athenienses gesti uberius disseruit. Sed etiam historiae leges violavisse auctorem putabimus, si hoc prooemio bellum universum uno

nomine appellavit. Quis enim possit affirmare bellum Lacedaemoniorum et Argivorum et utrorumque sociorum et expeditionem Siciliensem potius esse bellum Poloponnesiorum et Atheniensium?

Nunc videamus, utrum Thucydides in illa vitia inciderit, an summi rerum auctoris et ingeniosissimi hominis laudem servaverit. Habemus autem, quod iam supra monui, iustum prooemium, quo auctor iterum nomen suum professus se esse eundem atque eum, qui bellum decennale descripserit, testatur, et non modo ea quoque, quae sequantur, eadem ratione, qua antea, se descripturum pronuntiat, sed etiam pariter atque in priore opere (I, 22) se omnem curam in veritate indaganda posuisse affirmat, cum neque aetate impeditus fuerit et patria pulsus exilii otio et condicione adiutus.

Nec mirabimur nihil omnino posse inveniri, quo quis iure offendatur, si sola scriptoris verba sequemur neque iudicio praeoccupato interpretabimur. Postquam enim antecedenti c. 25 exposuit progressu temporis Lacedaemonios et Atheniensis suspectos sibi factos esse, quia ex parte foedus non servassent, et quamquam alteri alterorum finibus per sex annos et decem menses (sic codd. praebent). abstinuissent, tamen multa sibi foris nocuisse, tandem autem pacta rupisse et rursus apertum bellum movisse, profitetur initio c. 26 se etiam haec descripturum esse usque ad captas Athenas totumque bellum declarat fuisse viginti et septem annorum. Ad hanc sententiam probandam adiungit, quae legimus in § 2. Haec autem verba omnes fere ita interpretati sunt, ut dicerent Thucydidem voluisse probare totum bellum inter Peloponnesios et Athenienses gestum esse, tamen, quo iure id fecerint, equidem non video. Nam hoc solum demonstrare mihi auctor videtur, quia non pacem egerint Lacedaemonii et Athenienses, sed multa commiserint, quibus p a c t a essent laesa, spatium illud temporis inter bellum Archidamium et Deceleicum intercedens magis belli condicionem, quam pacis esse habendam, non illud, omnia, quae hoc temporis intervallo facta sint, re vera esse bellum Lacedaemoniorum et Atheniensium; quae nimium quantum inter se differunt; hoc enim si probare studebat, uberius ei

explicandum erat, cur bellum Mantineese atque Epidaurium et Siciliense potius bella Peloponnesiorum et Atheniensium essent habenda, ad illam autem sententiam stabiliendam satis ei erat attulisse, quibus aperte pax erat violata. Itaque, quia ea tantum affert, quibus pacta erant violata, certissimum habemus argumentum eius, quod necessarium videtur Thucydidem universum bellum eodum nomine non appellavisse. An putat aliquis, quia rebus ad Mantineam atque Epidaurum gestis Athenienses interfuerunt, inde conclusisse scriptorem omnia illo bello gesta eodem, quo bellum Archidamium et Deceleicum, nomine esse designanda? Certe ineptum fuit tale quid contendere et omnes turbas in ipsa Peloponneso inter ipsos Peloponnesios ab Argivis, qui principatum affectabant, concitas ita appellare. Sed dubium non est, quin aliter ses se habeat; nam si verum esset, quod vulgo creditur, qui factum est, ut noster expeditionem Siciliensem non modo non probaret esse bellum Peloponnesiorum et Atheniensium, sed ne nominis quidem eius mentionem faceret? Et certe erat illa expeditio dubiae pacis tempore suscepta, quam, si cum bello decennali et bello Deceleico uno nomine coniungendam censebat auctor facere non potuit quin hanc sententiam uberius ac data opera explicaret. Videmus igitur, ut ex illorum sententia Thucydides non modo multa ac gravia peccavise putandus est, sed etiam totum hoc prooemium intelligi non potest, sic ex nostra sententia omnia tam facile explicari, ut vix pluribus opus sit; nam cum hoc tantum asseveraret scriptor multa pacis temporibus commisisse Lacedaemonios et Athenienses, quibus pacta laesa essent, qui potuit in talium rerum enumeratione omnino expeditionem Siciliensem afferre, qua pacis condiciones nullo modo erant violatae? Expeditionem autem Siciliensem Thucydides putabat redintegrationem priorum expeditionum in hanc insulam factarum, ut bellum Deceleicum redintegrationem belli Archidamii; id facile intelligimus ex ipsis primis verbis l. VI iam supra laudatis, quibus haec non ornatius inducitur, quam illa multo minor Lachetis duodecim annis ante missa (III, 86).

Nunc videamus, quomodo ei se gesserint, qui dubiae pacis tempus scriptorem bello Peloponnesiaco adnumerasse

arbitrantur. Ac de bello quidem Argivorum hoc satis probatum esse consentiunt nudis verbis ἔξω τε τούτων πρὸς τὸν Μαντινικὸν καὶ Ἐπιδαύριον πόλεμον . . . ἐγένοντο, de expeditione Siciliensi autem omnes paene post Ullrichium in diversas sententias discesserunt. Is[1]) enim primus, quia nobilissimi illius belli ne mentio quidem facta esset, summopere offensus, verbis c. 25,3: καὶ ἐπὶ ἓξ ἔτη μὲν καὶ δέκα μῆνας κτλ. mutatis in ἐπὶ ἓξ ἔτη μὲν καὶ τέσσαρας μῆνας hoc ipso bello eius temporis initium a scriptore indicatum putat, quo Lacedaemonii et Athenienses alteri in alterorum fines invaserunt. Sed haec sententia a multis aliis et maxime a Cwiklinskio impugnata est[2]); neque enim ullo modo potuit quisquam contendere Athenienses illa expeditione in Lacedaemoniorum fines impetum fecisse, et omnino his verbis invasiones factae in sociorum fines, quorum ne numero quidem Syracusani habebantur exceptae sunt. Quemcunque igitur terminum posuit auctor — nolo enim hanc quaestionem pluribus tangere cum nihil faciat ad nostram rem — illud certum est expeditionem Siciliensem verbis s. s. non designatam esse. Novam autem difficultatis tollendae rationem Cwiklinskius ipse iniit; iudicat enim Thucydidem nondum intellexisse expeditionem Siciliensem esse partem totius belli, cum V, 26 post ann. 404 a. Chr. n. litteris mandaret, et tanta fuisse neglegentia, ut mutato consilio nihil tamen adderet, quo mutatam sententiam aperiret. Hanc autem opinionem iam antea ipsis primis l. VI verbis aperte redarguimus; tamen, si idem de auctoris iudicio sentimus, vix alia explicatio inveniatur; quam enim Classenus viam ingressus est, ut verbis c. 25,3 et c. 26,2 illud bellum satis dilucide significatum probaret, haec propterea non recta est, quod uberiorem expositionem desideramus, cur scriptor bellum Siciliense inter Peloponnesios et Athenienses gestum existimet. Sic viri docti a falsa opinione profecti falsa concluserunt, quam si reiecimus, omnia aperta fiunt ac perspicua.

Iam intelligemus, cur auctor numquam totum bellum hoc

---

1) p. 153—168 comm. s. l.

2) Herm. XII, p. 40 sqq.

capite ὅδε vel οὗτος ὁ πόλεμος appellaverit, qua voce res per viginti septem annos gestae uno nomine comprehenduntur, sed, ubi de universo bello verba facit, usurpat vocem ο πόλεμος vel πᾶς ὁ π., qua nihil nisi sola belli condicio indicatur; sic legimus in § 1 et § 4 et § 5. Qui vero hoc casu factum putant, ei profecto casu factum esse putant, ut gravissima, quae s. notavimus, vitia scriptor evitaret.

Haec igitur dilucida videntur; sed erunt fortasse, qui oraculo illo a Thucydide pro argumento allato offendantur, qno re vera bellum Peloponnesiorum et Atheniensium septem et viginti annos duraturum esse praedictum erat; tamen non est mirum scriptorem oraculum, quod forte praesto erat, artificiosius, quam verius in usum suum convertisse, quod artificium fortasse adhibuit, quia bello tantum (τῷ πολέμῳ) diuturnitas illa praesagita erat.

Iam satis abunde, quod volui, demonstrasse mihi videor; restat, ut ostendam re vera scriptorem singulas totius belli partes ut peculiares adumbrasse.

Ac bellum quidem decennale seorsum esse descriptum Ullrichius perspicue ostendit; itaque satis habeo delegare ad ea, quae hic vir doctus et, qui eum secuti sunt, disputaverunt, quorum opera factum est, ut eorum, qui Classeno assentiuntur, numerus in dies magis magisque minueretur; quae autem Cwiklinskius et Herbstius in libro primo novaverunt, haec falsa esse et causis s. allatis et alterius prooemii V, 26 explicatione ita in universum docuisse mihi videor, ut singula eorum argumenta, ne multus sim, me praeterire posse sperem, eo magis, quod apertissime Ullrichii sententiam probant verba c. 23 et maxime c. 21, 2, quibus timere se profitetur auctor, ne bello confecto homines minus recentia, quam antiqua admirentur; sic enim nostrum nullo modo fuisse locuturum, si ad bellum universum respexisset, procul dubio cum Ullrichio statuendum iudico; sola verba c. 1, 2: κίνησις γὰρ αὕτη μεγίστη δὴ τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο καὶ μέρει τινὶ τῶν βαρβάρων ὡς δὲ εἰπεῖν, καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρώπων, quae plurimorum mentes praestrinxerunt, uberius tractabo et interpolata esse fortasse a grammatico quodam, qui scriptorem de universo bello loqui opinabatur,

demonstrare conabor; primum enim, sive ad totum sive ad decennale bellum ea referimus, exaggerata sunt, nam motus Graecorum bello Persico factus certe non minor erat, aliquanto maior autem barbarorum, non modo Persarum, sed etiam aliarum gentium; deinde mentione barbarorum facta plane ab auctoris consilio abhorrent; delevit igitur iam Steupius verba: *καὶ μέρει τινὶ τῶν βαρβάρων, ὡς δὲ εἰπεῖν, καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρώπων*; tum ineptissime inter § 1 et § 2 interposita sunt; scriptor enim causas, quibus commotus suum bellum nobilissimum fore sperabat, in priore enuntiato explicaverat; absurde autem dictum est scriptorem propterea bellum, quia nobilissimum e r a t, nobilissimum f o r e speravisse; supplendum igitur censet Classenus: *καὶ εἰκότως ἤλπισα*, ut, quae seiuncta sunt, inter se copulentur; denique repugnant sibi verba: *καὶ μέρει τινὶ τῶν βαρβάρων, ὡς δὲ εἰπεῖν, καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρώπων*, quia motus per aliquam id est non magnam partem barbarorum factus non est ad omnes paene homines pertinens: hoc videtur ineptum dictionis ornamentum; sic, si recte iudicavimus, fortasse scrupulum plurimis amovimus; nec contra poterit afferri causa quod verba s. s. iam Dionysius Halicarnassensis legerat;[1]) multa enim aperte iam ante eum in Thucydidis libris foedata sunt.

Itaque tenendum puto auctorem libro primo, sequentibus libris usque ad V, 20 solum describere bellum Archidamium; neque hoc neglegentiae eius tribuendum est, quia altero illo prooemio eum non aliter potuisse narrare conclusimus. Tamen erunt fortasse, qui locos I, 10, 2 et II, 54, 2—3 mutandos fuisse censeant; sed I, 10, 2 *ἢ ἔστιν* non copulam duco ad vocem *δύναμιν* referendam, sed absolute positum eadem significatione praeditum, qua est illud, quod latine dicitur: quam verum est, quam res se habet; sic iudicium in universum pronuntiatum non dat offensionis causam; etiam II, 54, 2—3 verba auctoris, si cum ironia dicta sunt, post totius belli finem ita conscribi potuerunt.

---

[1]) Reisk. p. 164 et 857.

Expeditionem autem Siciliensem ut peculiarem historiae partem esse illustratam, cur probavisse Cwiklinskium existimem, supra exposui; praeterea aliquid momenti habet VI, 36,4; ceteri autem, quos attulit v. d., loci VI, 6,2; 34,3; 73,2; VII, 25,1; VI, 88,8; VI, 91,5 et omnes, in quibus sola vox (ὁ) *πόλεμος* inveniitur VI, 44,1; 88,6; VII, 7,2; non mihi probandi vim habere videntur, nec magis, quae praeterea disputzvit; haec partim ab Herbstio[1]), Struvio[2]), Fabro[3]) redarguta sunt, partim nostra explicatione diluentur.

Reliquum est, ut de bello Deceleico verba faciamus. Hoc re vera alterum bellum Peloponnesiorum et Atheniensium fuisse declarat noster verbis l. V, 25,3: *αὖθις ἐς πόλεμον φανερὸν κατέστησαν* et c, 26,3: *τῷ ὕστερον ἐξ αὐτῆς πολέμῳ*; deinde, quicunque inspexerit verba, quibus auctor ea, quae parantur, ad bellum Archidamium, describit l. II c. 7 9, eaque comparaverit cum verbis, quae legimus VIII, 3,2 et 4,1, is profecto facere non poterit, quin concedat haec ad illa respicere, atque ut praeparationem ad bellum decennale factam, sic etiam praeparationem ad bellum Deceleicum ut ad novum ac redintegratum exponi; et testimonio sunt verba VIII, 5,1: *Πρασσόντων δὲ ταῦτα ἀμφοτέρων καὶ ὄντων οὐδὲν ἄλλο ἢ ὥςπερ ἀρχομένων ἐν κατασκευῇ τοῦ πολέμου*, ubi *ὥςπερ* propterea dictum est, quia bellum iam anno ante initium ceperat.

Hoc igitur probatum videtur Thucydidem singula bella ut peculiaria narravisse neque uno nomine appellavisse. Quid igitur illis locis sparsis per l. VI et VII et singulis annorum enumerationibus faciemus, quibus aperte totum bellum inter Peloponnesios et Athenienses gestum declaratur? Si re vera a Thucididis manu profecta sunt, ineptum paene eum nominabimus, qui singulas belli partes per totum opus ut peculiares distinxerit, nonnullis tamen locis id oblitus bellum Peloponnesiacum iudicaverit. Quantas enim turbas in libris suis excitavit!

---

[1]) Phil. 40, p. 355 sqq.

[2]) De comp. op. Th. tt. Hal. Sax. 1873 p. 21 sqq.

[3]) Quaestiones Thucydideae Marburg. 1885.

Gravissime vituperandus est, quod bellum Archidamium seorsum tractavit, quod omnino duo prooemia fecit, ac non potius in unum contraxit, quod contra rem et rationem bellum Mantineense et Siciliense bella Peloponnesiorum et Atheniensium esse voluit, hoc autem ita non probavit, ut ne nominis quidem illius expeditionis mentionem faceret; iam totum opus admodum imperfectum censebimus, ut omnia in eo temptare liceat. Quis autem facile sibi possit persuadere scriptorem ipsum tam stulte pulcherrimo operi paene letale vulnus inflixisse? certe haec ineptis interpolatorum ingeniis tribuenda sunt et ex contextu verborum releganda.

Pars III.

Agatur autem prius de singulorum annorum adnotationibus.

Iam Cwiklinskius eas Thucididi abiudicandas censuit[1]), tamen pluribus sententiam suam non explicavit; quod autem Herwerdenum idem iudicasse arbitratur, erravit aeque ac Classenus[2]); ille enim vir doctus nihil nisi verba . . . *ἐτελεύτα τῷδε, ὃν Θουκυδίδης ξυνέγραψεν* in suspicionem vocat[3]), et magistellis assignat, „quibus consensu debentur ultima verba totius operis", solus Helmboldius[4]) graviores causas attulit, sed ne is quidem uberius disseruit Itaque ipse hoc negotium suscipiam et adnotationes illas spurias esse ostendere conabor.

Contendit scriptor VI, 7 bellum etiamtum geri inter Peloponnesios et Athenienses; sed c. 1 et c. 36,4 id iam confectum absolutumque esse; his locis opponitur bellum decennale ante gestum expeditioni Siciliensi, illo unum idemque appellatur. Quantopere autem perturbabimur, cum bellum Archidamium perlegemus! in eam enim sumus deducti necessitatem, ut tum in singulis adnotationibus vocem *ὁ πόλεμος ὅδε* referamus ad totum, tum in ceteris locis ad decennale bellum.

---

[1]) diss. s. l. p. 6 et 52. Herm XII p. 76.
[2]) ed. Thuc. l. I proll. p. XXXIV adn. 44.
[3]) Studia Thucyd. p. 32 et 33.
[4]) 28 et 29 l. c.

Id certe non ferendum est, sed delendum illud *τῷδε*, quo plane Thucydidis iudicium pervertitur; atque hoc omissum esse videmus IV, 116; V, 39; 51; 56; 81; 83; sed ne sic quidem sana videntur reliqua verba; quis enim non moleste ferat, quod paene semper scriptum est: *καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα (οὗτος) καὶ . . . ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα τῷδε, ὃν Θ. ξ.*? illud enim duplex *ἐτελεύτα* saepissime repertum (cf. II, 103; III, 25; 88; IV, 51; 135; V, 51; 56; 83: VI, 7; 93; VII, 18; VIII, 6; 60.) tam languidum est praesertim brevissimo intervallo repetitum, ut vix retineri possit. Itaque Herwerdenus alterum illud *ἐτελεύτα* uncis inclusit, quia prorsus ab Atticorum genere dicendi abhorreret. Quam facile enim hanc dictionem evitasset auctor, si aut vocem repetitam delevisset. aut ita scripsisset, ut II, 70: *ταῦτα μὲν ἐν τῷ χειμῶνι ἐγένετο, καὶ τὸ δεύτερον ἔτος ἐτελεύτα κτλ.* (cf. II, 47; III, 116; IV, 116) aut V, 81: *καὶ πρὸς ἔαρ ἤδη ταῦτα ἦν τοῦ χειμῶνος λήγοντος, καὶ τέταρτον καὶ δέκατον ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα.*

Sed omnium insulsissimae sunt illae repetitiones, quibus fere semper admonemur Thucydidem esse eum, qui bellum descripserit . . *τῷ πολέμῳ τῷδε, ὃν Θουκυδίδης ξυνέγραψεν*; haec enim verba paene in omnibus enumerationibus inveniuntur exceptis his locis II, 47; IV, 116; V, 39; 51; 56; 81; 83. Quid autem novi afferunt? num quis potest dubitare, quin Thucydides auctor sit, cum in prooemio priore legerit: *Θουκυδίδης Ἀθηναῖος ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων* et in altero V, 26: *Γέγραφε δὲ καὶ ταῦτα ὁ αὐτὸς Θουκυδίδης Ἀθηναῖος*, denique IV, 104: *Θουκυδίδην τὸν Ὀλόρου, ὃς τάδε ξυνέγραψεν*? Tam multa igitur in illis enumerationibus nos vexant, ut nullo modo retineri posse videantur.

Gravissimum autem ad probandam nostram sententiam affert momentum, quia, quod iam Helmboldius monuit, Thucydides numquam se res per singulos belli annos descripturum declarat, sed II, 1 *γέγραπται δὲ ἑξῆς, ὡς ἕκαστα ἐγίγνετο, κατὰ θέρος καὶ χειμῶνα*, V, 20,3: *κατὰ θέρη δὲ καὶ χειμῶνας ἀριθμῶν, ὥςπερ γέγραπται, εὑρήσει κτλ.* V, 26,1: *Γέγραφε δὲ*

καὶ ταῦτα ὁ αὐτὸς Θουκυδίδης Ἀθηναῖος ἑξῆς, ὡς ἕκαστα ἐγένετο, κατὰ θέρη καὶ χειμῶνας per solas aestates et hiemes narrationem se instituturum esse profitetur. Hoc certe magnopere miramur; nam auctor, si re vera singulos belli annos adnotaverat, non se per solas aestates et hiemes res narraturum dicere debebat, sed potius per singulos belli annos ita, ut annum ex aequa parte divideret in aestatem et hiemen; quod nunc legimus, non potest intelligi, si re vera illae notationes a Thucydidis manu profectae sunt.

Sed etiam adhibendus est locupletissimus testis Xenophon, qui, quod Thucydides mancum reliquit, post pacem, quae dicitur, Antalcidae[1]) perfecit. Is hunc secutus res per aestatem et hiemem in reliqua belli parte enarrat, quae distributio, etiamsi non semper adhibita est (apparet I, 1,2; I, 2,1; cf. § 4: I, 3,1; I, 4,2; II, 1,1), tamen mihi quidem a Xenophonte servata videtur, et potius cum Dodwellio[2]) lacunosa esse iudico, quae nobis tradita sunt, quam de eius neglegentia cogitandum, qui alioquin accuratam temporum distinctionem posuit (cf. I, 1,10; 20; 2,7; 4,7; 12; 5,1; 6,20; 7,8; II, 1,27; 2,16; 17). Quamquam igitur Xenophon in hac re Thucydidem secutus est, tamen numquam annorum enumerationes adhibuit; quae enim nunc leguntur, eas pariter atque Olympiadum, archontum, ephororum significationes spurias esse A. Bruecknerus[3]) ita demonstravit, ut nemo possit dubitare; neque enim semper positae sunt, aut, ubi positae sunt, falso plerumque notatae; illud solum quaeritur, num etiam ineuntis vel exeuntis anni distinctiones subditiciae sint; atque hoc quoque Bruecknero concedendum puto, cum et artius cum illis additamentis cohaereant, et, ubi Olympiadum, archontum, ephororum mentiones neglectae sunt, omittantur; praeclarum habemus exemplum I. 4, 2, qui locus casu ab interpolatoribus

---

[1]) Cf. Nitzschium: Ueber die Abfassungszeit von Xenophons Hellenica. Progr. d. Sophien-Gymn. in Berlin. 1871, p. 28 sqq.

[2]) De cyclis vet. Rom. et Graec. diss. 8 p. 340—61.

[3]) De notationibns annorum in Historia Graeca Xenophontis suspectis. Schweidnitz 1838; quae comm. typis iterum expressa est in Dindorfii ed. Xen. Hell. Ox. 1853, praef. p. L sqq.

intactus remansit[1]; hic ineuntis anni notatio solis verbis: *ἀρχομένου δὲ τοῦ ἔαρος* praebetur. Omnes igitur concessuros spero Thucydidem Xenophontis aetate enumerationibus illis caruisse.

Accedit praeterea, quod Dionysius Halicarnassensis, qui alioquin plurimus est in vitiis Thucydidis detegendis, verba illa tam putide dicta nullo umquam loco carpsit, sed omnino non legisse videtur. Ubicunque enim vituperat scriptoris malam rerum distributionem, semper vituperat. quod per solas aestates et hiemes bellum descripserit. Quis igitur credat eum legisse annorum enumerationes, cum viderit (De Th. h. i. R. p. 827): *καινὴν δέ τινα καὶ ἀτριβῆ τοῖς ἄλλοις πορευθῆναι βουληθεὶς ὁδὸν θερείαις καὶ χειμερείαις ἐμέρισε τὴν ἱστορίαν ἐκ δὲ τούτου συμβέβηκεν αὐτῷ τοὐναντίον ἢ προςεδόκησεν. οὐ γὰρ σαφεστέρα γέγονεν ἡ διαίρεσις τῶν χρόνων, ἀλλὰ δυςπαρακολουθητοτέρα κατὰ τὰς ὥρας*, et in p. 830: *ὅτι δὲ οὐκ ὀρθὸς ὁ κανὼν οὗτος, οὐδ' οἰκεῖος ἱστορίᾳ, δῆλον. οὐδεὶς γὰρ τῶν μεταγενεστέρων συγγραφέων θερείαις καὶ χειμῶσι διεῖλε τὴν ἱστορίαν, ἀλλὰ πάντες τὰς τετριμμένας ἄγειν ἐπὶ τὴν σαφήνειαν μετῆλθον*; deinde in ep. ad Cn. Pomp. De praec. hist. p. 773, ubi Thucydidem cum Herodoto comparat Dionysius: *Θουκυδίδης μὲν τοῖς χρόνοις ἀκολουθῶν, Ἡρόδοτος δὲ ταῖς περιοχαῖς τῶν πραγμάτων* scil. *τάττει τὰ λεγόμενα, καὶ γίνεται Θουκυδίδης μὲν ἀσαφὴς καὶ δυςπαρακολούθητος. πολλῶν γὰρ κατὰ τὸ αὐτὸ θέρος καὶ χειμῶνα γιγνομένων ἐν διαφόροις, ὡς εἰκός, τόποις ἡμιτελεῖς τὰς πρώτας πράξεις καταλιπὼν ἑτέρων ἅπτεται τῶν κατὰ τὸ αὐτὸ θέρος ἢ χειμῶνα γιγνομένων. πλανώμεθα δή, καθάπερ εἰκός, καὶ δυςκόλως τοῖς δηλουμένοις παρακολουθοῦμεν ταραττομένης τῆς διανοίας.* Nullum igitur vestigium cernimus, quo appareat Dionysium annos adnotatos legisse; immo vero verba eius vix intelligimus, si eadem, quae nos, adscripta invenit. Nam certe nos propter illas enumerationes, quamquam saepius distracta est narratio, tamen facile sequimur; sed has, si omiserimus, neque, quo belli anno versemur, semper sciemus. nisi aestates et hiemes computaveri-

[1] cf. Dodwell, p. 349.

mus, et facile aberrabimus; nunc assentiemur Dionysio et intelligemus, quo tandem iure affirmare potuerit, melius fuisse Thucydidem per olympiadum annnos aut archontum nomina res describere (R. p. 826); nam etiam haec narratio per singulos annos instituta est atque ea δυς παρακολουθητοτέρα, quam nunc habemus; archontum enim nominibus, nisi archontum tabulam praesto habebimus, belli annos non cognoscemus; ac ne Olympiadum quidem annos facilius sequemur. Licet igitur suspicari Dionysium illas notationes non legisse, sed grammaticum quendam postea adiecisse, ut lectorum memoriae subveniret; quod eo probabilius est, quia quod maxime queritur aberrare facile posse, qui Thucydidem legant, id ipsi accidit; opinatur enim archontum nomina secutus (R. p. 771 et 837) aeque ac Diodorus (XII, 37; XIII, 42) scriptoris opus exire in annum secundum et vicesimum, cum sit notissimum ipsis enumerationibus nondum primum et vicesimum esse expletum: atque hoc peccaverunt, quamquam a Thucydide bellum per viginti septem anuos gestum didicerant (Dion. H. p. 837, 867; Diod. XII, 37; XIII, 107); ita autem vix Dionysius et Diodorus errare potuerunt, si annos enumeratos reppperissent. Tamen de hoc dubitatur a viris doctis, num omnino Thucydide fonte usus sit, quod negaverunt Collmannus [1]) et Volquardsenus [2]); res autem ad litterarum historiam spectantes prompsisse eum ex Apollodori chronicis usque ad an. c. 119 a Chr. n. deductis [3]) Volquardsenus ex XIII, 103; 108 conclusit, Gelzerus [4]) autem atque item Bornemannus [5]) Castoris chronica fontem iudicaverunt, quae res usque ad an. 61 a. Chr. n. factas amplectuntur; sed utut est, perspicuum puto, Diodorum aut Apollodorum, qui in rebus chronologicis accuratissimus erat, aut Castorem, Diodori fere aequalem, aut, si

---

[1]) De fontibus Diodori Siculi, diss. Marburg 1868.

[2]) Untersuchungen über die Quellen der griech. und sizil. Gesch. bei Diod. Bch. XI—XVI. Kiel 1868, p. 34 sqq.

[3]) cf. quae scripsit H. Dielsius Rh. Mus. XXXI p. 54.

[4]) Burs. I. B. 1873, p. 1064.

[5]) De Castoris chronicis Diodori Siculi fonte ac norma. Progr. Luebeck. 1878.

quis alius Diodori auctor erat, annorum notationes apud Thucydidem non legisse.

Longe autem gravissimum argumentum ex ipso scriptore afferre possumus; legimus enim

V, 20, 3:

κατὰ θέρη δὲ καὶ χειμῶνας ἀριθμῶν, ὥςπερ γέγραπται, εὑρήσει, ἐξ ἡμισείας ἑκατέρου τοῦ ἐνιαυτοῦ τὴν δύναμιν ἔχοντος δέκα μὲν θέρη, ἴσους δὲ χειμῶνας τῷ πρώτῳ πολέμῳ τῷδε γεγενημένους et

V, 26, 3:

ὥςτε ξὺν τῷ πρώτῳ πολέμῳ τῷ δεκαέτει καὶ τῇ μετ αὐτὸν ὑπόπτῳ ἀνακωχῇ καὶ τῷ ὕστερον ἐξ αὐτῆς πολέμῳ εὑρήσει τις τοσαῦτα ἔτη, λογιζόμενος κατα τοὺς χρόνους.

Iam Helmboldius ex V, 20, 3 conclusit non potuisse Thucydidem ipsum singulos annos adnotare. Quicunque enim opus eius legerit, is confitebitur se numquam propter illas enumerationes dubitavisse, quem belli annum scriptor narraret; itaque cum viderimus V, 20: *Αὗται αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἅμα ἦρι*, priusquam posteriora legerimus, statim decimum belli annum confectum esse certo sciemus, cum vero scriptor ipse hoc declaraverit, diffidere non poterimus; miramur igitur legentes: *Σκοπείτω δέ τις κατὰ τοὺς χρόνους . . . . κατὰ θέρη δὲ καὶ χειμῶνας ἀριθμῶν, ὥς περ γέγραπται, εὑρήσει κτλ.*; hortatur enim nos auctor claris verbis, ut singulas aestates et hiemes computemus, et addit nos, cum hoc fecerimus, decem aestates et decem hiemes inventuros, ita ut ipsi decem anni efficiantur; et iterum, cum velit nobis persuadere bellum per viginti septem annos durasse, idem nos monet verbis: *εὑρήσει τις τοσαῦτα ἔτη λογιζόμενος κατὰ τοὺς χρόνους*; sed qui potuit auctor tale quid a lectore postulare, cum ipse unumquemque annum signaverit? nonne hoc ineptum est, quia nemo sanus omnino id sibi opus esse putat? Sed, ut nunc ineptissima sunt scriptoris verba, sic aptissima, si re vera per solas aestates et hiemes, ut semper ipse profitetur, res narravit.

Itaque delendas puto illas adnotationes et interpolatoris ingenio tribuendas.

Nunc videamus, quomodo ille in interpolando se gesserit. Et exstant nonnullae enumerationes, quae interpolationis notam aperte prae se ferunt. Hoc enim omnes consentiunt, quae legimus in fine operis: *ὅταν ὁ μετὰ τοῦτο τὸ θέρος χειμὼν τελευτήσῃ, ἓν καὶ εἰκοστὸν ἔτος πληροῦται* spuria esse; et verisimile esse mihi videtur haec eundem interpolasse. qui etiam ceteros annos addiderit; adiungendus est locus ab eodem fortasse conscriptus, qui iam dudum interpretes vexavit; V, 24, 2: *καὶ τὸ θέρος ἦρχε τοῦ ἑνδεκάτου ἔτους ταῦτα δὲ τὰ δέκα ἔτη ο πρῶτος πόλεμος ξυνεχῶς γενόμενος γέγραπται.* Quod enim legitur: *καὶ τὸ θέρος ἦρχε τοῦ ἑνδεκάτου ἔτους* duabus de causis respuendum est; primum, quod aestas hic incipere non potest, cuius initium iam in c. 20 significatum est verbis: *Αὗται αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἅμα ἦρι* — nam, cum pax facta esset exeuntis elaphebolionis die sexto (c. 19, 1). qui est ex nostra ratione dies m. apr. duodecimus[1]), et res, quae sequuntur, usque ad c. 24, 1, non minus quam mensis spatium capere possint, Thucydides, si haec scripsisset, aestatis initium in medio m. maio posuisset. quod absurdum esse omnes concesserunt — deinde, quia ineptum est, priusquam, quid vellet, auctor exposuerit, iam de undecimo anno scil. belli dicere. Ac ne ea quidem, quae sequuntur, verba intelligi possunt: *ταῦτα δὲ τὰ δέκα ἔτη ὁ πρῶτος πόλεμος ξυνεχῶς γενόμενος γέγραπται*; finem enim belli esse factum scriptor iam in c. 20 dixerat, et quidem recte, quod pace composita bellum erat confectum; inepte igitur affirmatur Lacedaemonios et Athenienses post pacem factam tamen bellum gessisse. Nec magis ferendum est, quod bellum narratum primum appellatur (*ὁ πρῶτος πόλεμος*) quasi ante V, 26 omnino de alio bello atque decennali cogitari potuisset; quod enim repetitum est, V, 20, 3: (*τῷ πρώτῳ πολέμῳ τῷδε*), aut ab eodem interpolatum est, aut postea ex nostro loco fluxit; certe bonus codex A *πρώτῳ* omisit. Denique miramur, quo iure bellum Archidamium *πόλεμος ξυνεχῶς γενόμενος* vocetur; suo iure enim Wilamo-

---

[1]) cf. Boeckh. Zur Gesch. der Mondcyl. d. Hell. p. 80.

witzius[1]) monuit bellum decennale indutiis annuis diremptum esse (IV, 117—119), neque his peractis a die decimo quarto m. elaphebolionis usque ad diem septimnm m. metagitnionis, quo Pythia celebrabantur[2]) (V, 1, 1) quidquam hostile gestum esse, tum post pugnam Amphipolitanam rursus arma quievisse, ita, ut ex continno illo bello duo anni praeter paucos menses bello carerent. Qui vero provocant ad II, 1 et nostrum locum illo defendere student, errorem mihi errore fulcire videntur; nam omissa librorum divisione quae auctori non debetur, si II, 1 artissime adnectitur ad I, 146, facile puto intelligi posse, solam Classeni explicationem esse veram, qui *ἐν ᾧ* non tam pronomen relativum esse docuit ad vocem *ὁ πόλεμος* referendum, quam coniunctionem temporalem ad *ἐνθένδε ἤδη* applicandam, sic verba *ἐν ᾧ κτλ.* non proprie de toto bello praedicata sunt, quia hoc non continenter gestum est, nec proprium est, quod omni bello efficitur, scilicet quia in eo non ut in alta pace hostes sine caduceatoribus commercabantur, sed nihil nisi eius temporis condicionem depingunt, a quo initium cepit auctor belli conscribendi; atque ita locutus est quia vulgo a prima hostium invasione belli principium numerabatur[3]). Qui autem negant *ἐν ᾧ* seiungi posse ab *ὁ πόλεμος*, neglexerunt similia exempla: I, 21, 2: *καὶ ὁ πόλεμος οὗτος, καίπερ τῶν ἀνθρώπων, ἐν ᾧ μὲν ἂν πολεμῶσι, τὸν παρόντα* (scil. *πόλεμον*) *ἀεὶ μέγιστον κρινόντων κτλ.* et I, 101, 2: *διεκωλύθησαν δὲ ὑπὸ τοῦ γενομένου σεισμοῦ, ἐν ᾧ καὶ οἱ Εἵλωτες αὐτοῖς . . . ἀπέστησαν*, et V, 60, 3: *ὤφθη δὲ μάλιστα* (scil. *τὸ στρατόπεδον*), *ἕως ἔτι ἦν ἀθρόον ἐν Νεμέᾳ, ἐν ᾧ Λακεδαιμόνιοί τε πανστρατιᾷ ἦσαν κτλ.* in quibus etiamsi facile *ἐν ᾧ* referri potest ad substantiva, tamen equidem solam vim temporalem statuendam iudico.

Denuo bellum decennale *ξυνεχής* appellatur loco ipso quoque interpolato VI, 26, 2: *ἄρτι δ' ἀνειλήφει ἡ πόλις ἑαυτὴν*

---

[1]) l. c. p. 15

[2]) cf. A. Kirchhoffium. M. B. d. berl. Ac. d. W. 1864, p. 129 sqq. qui docuit delphicum mensem bucatium eundem esse ac metagitnionem, cuius septimo die Pythia celebrabantur.

[3]) sic Ephorus apud Diodorum XII, 38, cf. 41.

ἀπὸ τῆς νόσου καὶ τοῦ ξυνεχοῦς πολέμου ἔς τε ἡλικίας πλῆθος ἐπιγεγενημένης καὶ ἐς χρημάτων ἄθροισιν διὰ τὴν ἐκεχειρίαν, ὥστε ῥᾷον πάντα ἐπορίζοντο. Haec enim inepte addita sunt, quod, antequam praeparationes ad bellum Siciliense factae exponerentur, erant dicenda et molestissime narrationis tenorem interrumpunt, quod facile concedet, qui, quae antecedunt et sequuntur, perlegerit; atque idem scriptor iam antea Niciam in oratione apud populum habita loquentem fecerat c. 12, 1: *καὶ μεμνῆσθαι χρὴ ἡμᾶς ὅτι νεωστὶ ἀπὸ νόσου μεγάλης καὶ πολέμου βραχύ τι λελωφήκαμεν, ὥςτε καὶ χρήμασι καὶ τοῖς σώμασιν ηὐξῆσθαι.* Quis igitur credat bis idem dixisse scriptorem brevi spatio interiecto et, quod c. 12, 1 aptissime posuerat, c. 26, 2 inepte repetivisse? Certe quicunque verba illa comparaverit, is confitebitur, c. 26, 2 fluxisse ex c. 12,1: respondent enim verba c. 12, 1 *καὶ μεμνῆσθαι χρὴ ἡμᾶς ὅτι νεωστὶ ἀπὸ νόσου μεγάλης καὶ πολέμου βραχύ τι λελωφήκαμεν* verbis c. 26, 2: *ἄρτι δ' ἀνειλήφει ἡ πόλις ἑαυτὴν ἀπὸ τῆς νόσου καὶ τοῦ ξυνεχοῦς πολέμου* et verba: *ὥςτε καὶ χρήμασι καὶ τοῖς σώμασιν ηὐξῆσθαι* verbis *ἔς τε ἡλικίας πλῆθος ἐπιγεγενημένης καὶ ἐς χρημάτων ἄθροισιν.*

Illae duae igitur enumerationes et in fine operis et V, 24, 2 factae aperte spuriae sunt; in omnibus autem id semper spectavit interpolator, ut verba sua cum antecedentibus coniungeret; et, ubi scriptor ipse dixerat: *καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα,* acile notationem anni adiungebat, sed, ubi ille cum rebus narratis exeuntis hiemis significationem contextam viderat, aut repetebat eam aut aliquid quamvis inane adiciebat; nonnumquam autem, cum auctor pro exitu hiemis initium veris aut et exitum hiemis et initium veris indicare coactus erat, ipse tamen: *καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα* stulte addidit.

Exeuntis hiemis notatio repetita est IV, 135; haec autem non modo inepte, sed etiam falso repetita est, quia *τοῦ αὐτοῦ χειμῶνος . . . τελευτῶντος καὶ πρὸς ἔαρ ἤδη* spatium paucissimorum dierum inter hiemem et aestatem intercedens designat, sed plurium: *καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα,* cf. praeterea III, 25; V, 56; VIII, 60; ubi vero pauca verba inter notationem exeuntis hiemis et anni factam intercedunt, inanem

repetitionem omisit interpolator, ut cognoscimus ex V, 39 et ex V, 81 [1]).

Ineptum habemus additamentum II, 47; iam certius apparet interpolatio IV, 116; insulse enim *τοῦ χειμῶνος διελθόντος* adiunctum est post: *καὶ ὁ μὲν τὸ λοιπὸν τοῦ χειμῶνος ἅ τε εἶχε τῶν χωρίων καθίστατο κτλ.*

Omissa hiemis exeuntis notatione veris initium aut et exeuntis hiemis et ineuntis veris significatio ab auctore posita est II, 103 et III, 116; tamen in utroque loco stulte adiecit interpolator *καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα*; legimus enim II. 103: *Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι καὶ ὁ Φορμίων . . . ἅμα ἦρι κατέπλευσαν ἐς τὰς Ἀθήνας, ... καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα οὗτος καὶ τρίτον ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα τῷδε, ὃν Θ. ξ.*

Atque hic facile possumus cognoscere pro exitu hiemis propterea scriptorem veris initium attulisse, ne narrationis tenorem interrumperet; vehementer igitur verba: *καὶ ὁ χειμὼν ἐτελεύτα οὗτος* omnes vexaverunt; quin etiam G. F. Ungerus[2]) hoc et altero loco s. l. et V, 24, 2 maxime adductus est, ut iudicaret scriptorem rationem anni civilis non naturalis secutum singulos belli annos ab eo die numerasse, quo Plataeae a Thebanis occupatae essent; quo factum esse, ut initium veris modo antecederet aestati ineunti, modo eam sequeretur; sed haec sententia iam ab Herbstio[3]) et Schmittio[4]) impugnata plane corruit, si probavimus omnino non per belli annos, sed per solas aestates et hiemes Thucydidem res narrare ita, ut, cum in hiemis initio definiendo rationem naturalem secutus sit, minime in aestate aliam sibi normam capere posset.

Altero loco III, 116 legimus: *Ἐῤῥύη δὲ περὶ αὐτὸ τὸ ἔαρ τοῦτο ὁ ῥύαξ τοῦ πυρὸς ἐκ τῆς Αἴτνης . . . ταῦτα μὲν κατὰ τὸν*

---

[1]) etiam repetitiones in notione exeuntis aestatis factas III, 86; IV, 49; V, 12; VII, 9 interpolatas censeo; eam omisit IV, 133 interpolator quia duobus capitibus post hiemis notationem repetivit.

[2]) Zur Zeirechnung des Thuc. S. B. d. k. c. Ac. d. W. zu Muenchen vol. I. Muench. 1875; idem: Der alt. Kalender während des pelop. Krieges Muench. 1875.

[3]) Phil. 42 p. 627 sqq.

[4]) Quaest. chronol. ad Thuc. pertin. diss. Lips. 1882.

χειμῶνα τοῦτον ἐγένετο, καὶ ἕκτον ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα τῷδε," ὃν Θ. ξ. Videmus autem veris initium in ipso c. 116 indicatum esse, finem hiemis in antecedenti c. 115 verbis: *ὁ δὲ Πυθόδωρος ἤδη ἔχων τὴν τοῦ Λάχητος τῶν νεῶν ἀρχὴν ἔπλευσε τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἐπὶ τὸ Λοκρῶν φρούριον, ὃ πρότερον Λάχης εἷλε.* Sed cogitari potest in c. 115 iam veris initium fuisse significatum, quod colligitur ex primis c. 116 verbis; *Ἐρρύη δὲ περὶ αὐτὸ τὸ ἔαρ τοῦτο κτλ.*; fortasse igitur scripsit Thucydides: *καὶ νικηθεὶς μάχῃ ὑπὸ τῶν Λοκρῶν ἅμα ἦρι ἀνεχώρησεν*, et illud *ἅμα ἦρι* in nostris codicibus excidit.

Probasse igitur me confido spurias esse annorum enumerationes; accedamus nunc ad locos reliquos, quibus totum bellum uno nomine comprehenditur.

Iam Classenus verba VI, 17, 5 interpolata esse suspicatus est, quia absurdissimum videtur Alcibiadem in oratione apud cives Athenienses habita, cum bellum Archidamium iam multo ante compositum neque aut expeditio Siciliensis facta aut bellum Deceleicum exortum esset, de toto bello per viginti septem annos gesto verba facere; deinde est sententia plane inepta ducta fortasse ex V, 68, 2, qua molestissime §§ 4 et 6 rescinduntur, et verba ipsa putida sunt; neque enim quisquam potuit explicare passivum *κομποῦνται*, neque, quid sit *ὅσοι ἕκαστοι σφᾶς αὐτοὺς ἠρίθμουν*, (mutatum igitur a multis *ὅσοι* in *ὅσους*), neque, quid sibi velit, dictio: *ἀλλὰ μέγιστον δὴ αὐτοὺς ἐψευσμένη ἡ Ἑλλὰς μόλις ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ ἱκανῶς ὡπλίσθη*; habemus sic interpolatorem, qui, cum Thucydidem vellet imitari, in vitia illa a Dionysio (de Dinarcho iud. p 645) et a Cicerone (or. 9, 32) de Thucydidis imitatoribus designata incidit.

Tenemus igitur certissimum interpolationis documentum, nec minus certum: VII, 56, 4:

ἔθνη γὰρ πλεῖστα δὴ ἐπὶ μίαν πόλιν ταύτην ξυνῆλθε, πλήν γε δὴ τοῦ ξύμπαντος λόγου τοῦ ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ πρὸς τὴν Ἀθηναίων τε πόλιν καὶ Λακεδαιμονίων.

Iam A. Philippi [1]) verba *πλὴν γε δὴ τοῦ ξύμπαντος λόγου τοῦ ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ πρὸς τὴν Ἀθηναίων τε πόλιν κα Λακεδαιμονίων* interpolata esse iudicavit, quia nec *πρός* praepositio potest intelligi, nec verbum ad *πρὸς τὴν Ἀθηναίων τε πόλιν καὶ Λακεδαιμονίων* referendum omitti potuit, denique quia his deletis cetera bene inter se congruunt. Accedit, quod vocis *λόγος* notio hoc loco obscurissima est; scholiastae enim explicationem qui *λόγου* idem esse ait atque *ἀριθμοῦ*, omnes fere repudiaverunt; itaque Kruegerus, Stahlius, Classenus, Boehmius alii pro *λόγου* scripserunt *ὄχλου*, maxime simili loco VII, 75, 5 adducti; hoc autem non probabile esse iudico; neque enim recte sibi opponuntur *ἔθνη* et *ὄχλος*, quod *ὄχλος* vel maximus unius gentis esse potest, et ipse locus ab iis citatus optime docet *ὄχλον* non nisi confusam ac turbulentam multitudinem significare. De his igitur verbis vix dubitatio esse potest. Sed non modo haec sed omnia, quae legimus inde ab huius capitis § 3 usque ad c 59, 2, eximenda esse, multis atque gravibus, ut opinor, de causis mihi persuasum est, quod tamen pluribus explicare, ne longius a proposito deducamur, nostro loco supersedeo; nonnulla autem iam Cwiklinskius recte disputavit, nisi quod manum ipsius auctoris negligentissime expeditionem Siciliensem cum ceteris bellis coniungentis agnoscere sibi visus est.

Restat, ut disseramus de:

VII, 87, 5—6.

ξυνέβη τε ἔργον τοῦτο Ἑλληνικὸν τῶν κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε μέγιστον γενέσθαι, δοκεῖν δ᾽ ἔμοιγε καὶ ὧν ἀκοῇ Ἑλληνικῶν ἴσμεν, καὶ τοῖς τε κρατήσασι λαμπρότατον καὶ τοῖς διαφθαρεῖσι δυστυχέστατον. κατὰ πάντα γὰρ πάντως νικηθέντες καὶ οὐδὲν ὀλίγον ἐς οὐδὲν κακοπαθήσαντες, πανωλεθρίᾳ δὴ τὸ λεγόμενον καὶ πεζὸς καὶ νῆες καὶ οὐδὲν ὅτι οὐκ ἀπώλετο, καὶ ὀλίγοι ἀπὸ πολλῶν ἐπ᾽ οἴκου ἀπενόστησαν.

Haec verba tam graviter dicta videntur, ut haud facile nobis persuadeamus ea non esse a Thucydidis manu profecta, sed addita a grammatico quodam rhetorum artibus innutrito; insurgit enim

[1]) H. Jahrb. f. Ph. u. P. 1881 p 100,

oratio atque recte id factum putamus, quia in fine l. VII magnitudinem cladis Atheniensibus illatae animo nostro repraesentat.

Sed ubi acrius illa verba inspexerimus, multa inveniemus, cur a Thucydide abiudicanda sint.

Reputemus enim, quae antea dicta sint. Athenienses eorumque socii, praeter eos, qui a privatis abditi erant, quorum pars multo maior erat, quam eorum, qui publice capti erant (VII, 85, 3), post cladem acceptam in lautumias coniecti sunt numero fere septem milia; ubi, cum per septuaginta dies fame, siti, aestu, gelu omnibus denique malis vehementissime pressi essent, tum, qui socii erant Atheniensium exceptis, qui Siciliam aut Italiam incolebant, Graecis sub corona venierunt, reliqui lautumiis, sed multo certe meliore loco tenebantur.[1]) Ad haec adiungitur *ξυνέβη τε ἔργον τοῦτο Ἑλληνικὸν κτλ.*, quae verba ad ea referenda sunt, quae postremo loco dicta sunt; est autem haec descriptio malorum, quae Athenienses sociique eorum perpessi sunt; id certe ineptum est, putat igitur Classenus vocem *ἔργον* latiore sensu usurpatum ad omnes res in bello Siciliensi gestas spectare; sed qui dici potuit *ξυνέβη τε*, qua particula posteriora artissime ad priora adnectuntur? tamen vir doctus contendit particulam *τε* apte concludere sententiam et affert pro exemplis: I, 12, 4; IV, 34, 3; VII, 71, 4. sed in his omnibus narrationis tenor deducitur, in nostro loco subito abrumpitur. Agnoscimus iam interpolatoris manum, qui sua apto loco adicere non potuit; melius enim haec ponenda erant post: *ταῦτα μὲν τὰ περὶ Σικελίαν γενόμενα.* Quid deinde sibi vult: *ἔργον Ἑλληνικόν*? quasi omnino de aliis atque Graecorum factis cogitandum esset; deleverunt igitur *Ἑλληνικόν* Kruegerus, Pluygersius, Stahlius, Classenus; sed nihil efficiunt; exstant enim aliae quoque atque maiores ineptiae. Tum ne hoc quidem concedimus cladem Siciliensem maximum totius belli facinus fuisse, atque adeo eorum, quae omnino Graeci perpetraverant; bellum enim Persicum aliquanto maius erat; deinde cum propterea illud factum splendidissimum vocetur, quia victoribus summam gloriam, victis gravissimam sortem

---

[1]) Grote. Gesch. Griechl. IV, 268.

attulerit, nonne multo nobilior et erat et ab omnibus habebatur victoria illa, quam Lacedaemonii ab Atheniensibus ad Aegos flumen reportaverunt, qua omnibus paene Atheniensium navibus ad centum octoginta potiti et hostibus aut captis aut interfectis totius Graeciae principatum erant adepti? sic vix potuit iudicare, qui paullo post cladem illam maximam Atheniensium scripsit. Quod vero in § 6 legimus, plane ridiculum est, quasi naves eadem atque pedites aut fecissent aut perpessae essent; similem ineptiam iam Muellerus Struebingius[1]) in c. 64, 2 notavit, ubi illud: *καὶ νῆες* delendum videtur, Denique falsiosimum est, pedites es naves et omnia funditus periisse nec quidqam reliquum fuisse, quod non deleretur, ne naves quidem omnes deletae sunt, pedites autem (et equites) non omnes interfecti sunt, sed magna pars capta; plena enim Sicilia erat eorum, qui a privatis hominibus capti venierunt (c. 85, 3: *διεπλήσθη πᾶσα Σικελία αὐτῶν*) et multi vel postea vel statim effugerunt (§ 4: *πολλοὶ δὲ ὅμως καὶ διέφυγον, οἱ μὲν καὶ παραυτίκα, οἱ δὲ καὶ δουλεύσαντες καὶ διαδιδράσκοντες ὕστερον*): Diodorus autem ad Assinarum flumen duodeviginti milia hominum interfectos tradit, (XIII, 19), sed publice captos, aeque ac Thucydides, septem milia; restant igitur ex toto numero quadraginta milium (Thuc. VII, 75, 5) quindecim milia hominum, qui a privatis abdebantur; ac ne ei quidem, qui in lautumias deiecti erant, omnes perierunt, quia multi paullo post in servitutem dimissi sunt: quin etiam ex Atheniensium numero erant, qui propter humanitatem atque cultum liberarentur (Plut. Nic. c. 29; Diodor. XIII, 33; Euseb. c. Marc. ed Gaisf. p. 29). Interpolator autem non modo a scriptore, sed ipse a se ipso dissentit; qui enim vel pauci ex iis effugere potuerunt, quos ad unum omnes deletos esse pronuntiaverat?

Omnes igitur interpolationis notas videmus Ille autem grammaticus gravissime ferens, quod auctor in § 2 fortunam Atheniensium et, qui socii eorum erant, in lautumias coniectorum tam nude descripserat verbis: *ἄλλα τε, ὅσα εἰκὸς ἐν τῷ τοιούτῳ χωρίῳ ἐμπεπτωκότας κακοπαθῆσαι, οὐδὲν ὅ, τι οὐκ*

---

[1]) Zeitschr. für oesterr. Gymn. W. 30 Jahrg. 1879 p. 578—579.

ἐπεγένετο αὐτοῖς, ea ornanda atque in maius tollenda sibi censuit, et in hac re tam inepte se gessit, ut, quae de parte exercitus praedicanda erant, ad totum referret; iam non mirum est eum antecedentia verba esse imitatum, velut illud κακοπαθήσαντες respicit ad prius κακοπαθῆσαι et οὐδὲν ὅ, τι οὐκ ἀπώλετο ad simile οὐδὲν ὅ,τι οὐκ ἐπεγένετο αὐτοῖς; in reliquis verbis ductum est καὶ ὧν ἀκοῇ Ἑλληνικῶν ἴσμεν ex I, 4, 1 et: καὶ ὀλίγοι ἀπὸ πολλῶν ἐπ' οἴκου ἀπενόστησαν depromptum ex I, 110, 1 cf. III, 112, 8.

In verbis ipsis notanda sunt et vox πανωλεθρίᾳ, quae, quamquam iam a Polluce (VI, 162) apud Thucydidem inventa est, tamen non nisi posterioribus Graeciae temporibus usurpabatur, et obscurissimum illud οὐδὲν ἐς οὐδέν, quod ne simili quidem loco VII, 59,2 satis explicatur; quam inepta autem sit verborum coniunctio § 6ae, supra iam monitum est.

His autem locis procul dubio, ut mihi videtur, interpolatis accedit quartus VII, 44, 1, qui utrum ad totum bellum, an ad solum Siciliense referendus sit, in dubio relinquitur; hic legimus: ἐν δὲ νυκτομαχίᾳ, ἣ μόνη δὴ στρατοπέδων μεγάλων ἔν γε τῷδε τῷ πολέμῳ ἐγένετο, πῶς ἄν τις σαφῶς τι ᾔδει; Atque enuntiatum illud relativum iam Meyerus (p. 19 l. c.) spurium esse censuit, quia voci νυκτομαχίᾳ nullo articulo praeditae, sed in universum dictae, pariter atque antecedens illud: ἐν μὲν γὰρ ἡμέρᾳ, aliquid superflui de pugna Epipolensi adderetur, nec indicativus: ἐγένετο coniungi posset cum verbis: πῶς ἄν τις σαφῶς τι ᾔδει; quae recte disputata esse iudico; et id certe unusquisque concedet, nullo aut sententiae aut verborum detrimento enuntiatum illud omitti posse; utut autem res se habet, apparet, verane an spuria sint illa verba nihil interesse.

Hoc igitur demonstrasse mihi videor Thucydidem uno nomine totum bellum non comprehendisse, et omnia, quae nunc eius modi exempla inveniuntur, subditicia esse; sed non modo hos locos, sed etiam eos, quibus bellum universum ὁ πόλεμος vel πᾶς ὁ πόλεμος appellatur: VII, 28, 3; VII, 30, 4; VIII, 15, 1, spurios esse existimo, et consentaneum est interpolatores promiscue ita de bello locutos esse.

Iam Cwiklinskius, quae legimus VII, 28, 3, eximenda esse copiose docuit;[1]) hoc solum ei concedere non possum etiam prima § 4 verba: *δι' ἃ καὶ τότε ὑπό τε τῆς Δεκελείας πολλὰ βλαπτούσης καὶ τῶν ἄλλων ἀναλωμάτων μεγάλων προς πιπτόντων ἀδύνατοι ἐγένοντο τοῖς χρήμασι*, sententiarum ordinem turbare, quia aptissime mihi ad § 2 quadrare videntur; ac ne prima quidem § 3 verba: *μάλιστα δ' αὐτοὺς ἐπίεζεν ὅτι δύο πολέμους ἅμα εἶχον* excludenda censeo; optime enim concludunt § 2 et facile perducunt ad § 4; cetera autem, cur non ipsius Thucydidis neglegentiae, ut maluit Cwiklinskius, sed interpolatoris loquacitati attribuam, causae mihi hae sunt: Primum enim constructio verborum adeo confusa est, ut a nullo intelligi possit. Deinde, cum de posteriore expeditione in Siciliam missa agatur. insulsissime narratio transit ad priorem expeditionem. Tum perperam affirmatur neminem initio belli Peloponnesiaci Athenienses plus triennio Lacedaemoniorum impetum sustenturos esse credidisse; recte enim Muellerus-Struebingius animadvertit[2]) hunc locum dissentire a V, 26. 4, ubi m u l t o s initio belli certamen per viginti septem annos duraturum esse praedixisse legimus; quod neglegenter sibi finxit interpolator ex V, 14,3: hic enim de solis Lacedaemoniis pronuntiatum videmus: *οἱ δ' αὖ Λακεδαιμόνιοι παρὰ γνώμην μὲν ἀποβαίνοντος σφίσι τοῦ πολέμου, ἐν ᾧ ᾤοντο ὀλίγων ἐτῶν καθαιρήσειν τὴν τῶν Ἀθηναίων δύναμιν εἰ τὴν γῆν τέμνοιεν κτλ.* Denique falsissimum est Athenienses, cum an. 415 a. Chr. n. expeditionem illam omnium, quas meminerant Graeci, sumptuosissimam in Siciliam mitterent, omni ex parte fuisse bello attritos; habuisse enim eos septem milia talentum in arce seposita et plus trecentas naves ad bellum paratas Andocides testatur (De pace c 8—9), neque esse, cur hoc in dubium vocemus, A. Kirchhoffius[3]) contra G. Grotium[4]) ostendit,

---

[1]) Hermes XII, p. 67—76.

[2]) N. Jahrb. f. Phil. u. Päd. 1886, p. 642.

[3]) Zur Gesch. d. athen. Staatssch. Abhdlg. d. berl. Ac. d. W. 1876 p. 47 et 48.

[4]) Gesch. Griechenl. vol. IV p. 128 adn. 4.

Postremo in ipsis verbis inest certum interpolationis vestigium; *περιφέρειν* enim posteriore demum aetate eo sensu usurpatur.

Accedamus iam ad:

VII, 30, 4

Τὰ μὲν κατὰ τὴν Μυκαλησσὸν πάθει χρησαμένων οὐδενὸς ὡς ἐπὶ μεγέθει τῶν κατὰ τὸν πόλεμον ἧσσον ὀλοφυρασθαι ἀξίῳ τοιαῦτα ξυνέβη.

Invenimus autem idem paene de eadem re in priore capite dictum: *καὶ ξυμφορὰ τῇ πόλει πάσῃ οὐδεμιᾶς ἥσσων μᾶλλον ἑτέρας ἀδόκητός τε ἐπέπεσεν αὕτη καὶ δεινή.*

Hoc igitur graviter ferimus et statim alterum utrum locum esse spurium suspicamur; nec quaerentibus nobis dubium esse poterit quin verba c. 29,5 genuina, sed c. 30,4 subditicia sint. Maxime enim convincunt interpolatorem ea verba, quibus sua prioribus agglutinavit: *Τῶν δὲ Μυκαλησσίων μέρος τι ἀπανηλώθη.* Quid enim? cum agatur c. 30 de pugna inter Thebanos et Thraces facta, num Mycalessii, quos omnes interfectos putamus, subito ex Orco resuscitati et in lucem proditi ipsi pugnae interfuerunt, ut iterum pars eorum interficeretur? Nam, quicunque c. 29 legerit, is confitebitur se Mycalessios ad internicionem redactos putare, cum Thraces tam subito oppidum aggressi sint, ut pueros paullo ante scholam ingressos et reliquos incolas domi sedentes deprehenderent. Classenus tamen de iis Mycalessiis cogitandum censet, qui armati cum Thebanis in Thraces impetum fecerunt; scholiasta autem explicat: *ἤτοι παῖδες μὲν πολλοί, τῶν ἀνδρῶν δὲ μέρος τι* scil. *ἀπανηλώθη*; sed haec interpretatio inepta est illa autem aperte falsa, praesertum cum in pugna describenda auctor Mycalessiorum mentionem non fecerit.

Praeterea offendimur genetivo absoluto *πάθει χρησαμένων*, qui nullo pronomine praeditus ad priora adnectitur; mutaverunt igitur de Reiskii coniectura Stahlius et Classenus *χρησαμένων* in *χρησαμένην*; sed nihil temptandum videtur; voluit fortasse interpolator obscurus esse.

Has autem omnes interpolationes ita comparatas invenimus, ut, etiamsi scriptorem foedis maculis aspergunt, tamen

historiae fidem haud graviter laedant. Quid vero? quod historia ipsa interpolatorum audacia depravata est?

Legimus enim

VIII, 15, 1

τά τε χίλια τάλαντα, ὧν διὰ παντὸς τοῦ πολέμου ἐγλίχοντο μὴ ἅψασθαι, εὐθὺς ἔλυσαν τὰς ἐπικειμένας ζημίας τῷ εἰπόντι ἢ ἐπιψηφίσαντι ὑπὸ τῆς παρούσης ἐκπλήξεως, καὶ ἐψηφίσαντο κινεῖν κτλ.

Mira haec videbuntur, si ea, quae legimus II, 24, in comparationem vocaverimus; ex his enim tria concludemus: Initio belli eadem lege mille talenta et centum naves esse sepositas, nefas fuisse iis uti, legem valuisse, donec bellum gereretur.

Itaque bello Archidamio confecto sublata erat illa lex et fas erat mille talentis illis et centum navibus uti; falsum igitur est, quod traditur VIII, 15, 1, anno demum 412 a. Chr. n. legem esse abrogatam.[1])

Ac de centum navibus quidem omnes paena consentiunt; non erant Atheniensibus post cladem in Sicilia acceptam centum illae naves ad bellum optime instructae; sequitur, cum eadem ege et mille talenta et centum naves reservatae essent, ne mille quidem talenta iam in aerario fuisse. Hoc autem claris verbis ipse Thucydides profitetur VIII, 1, 2

ἅμα δὲ ναῦς οὐχ ὁρῶντες ἐν τοῖς νεωσοίκοις ἱκανὰς οὐδὲ χρήματα ἐν τῷ κοινῷ οὐδ' ὑπηρεσίας ταῖς ναυσὶν ἀνέλπιστοι ἦσαν ἐν τῷ παρόντι σωθήσεσθαι. Cognoscimus igitur desperavisse Athenienses de salute sua, quia neque naves in navalibus satis multae neque pecunia in aerario neque navibus armamenta erant.

Restat, ut rebus ipsis probemus ficta esse, quae de mille talentis an. 412 impensis tradita sunt.

Primum enim, quae causa potest excogitari, cur Athenienses nuntio de atrocissima illa clade in Sicilia accepta allato, cum hostes aut statim aut ineunte saltem vere proximi anni una cum Peloponnesiis et sociis, qui defecissent, ad urbem

---

[1]) Itaque non possum probare, quae A. Boeckhius de mille illis talentis supplenda censuit in C. J. Gr 145 v. 6.

apparituros esse persuasum haberent, cur ne tum quidem ingentem illam pecuniam adhiberent, sed, cum et ipsi et Peloponnesii eorumque socii per hiemen bellum pararent, desperata salute tamen mente obstinata mille talenta, quibus solis servari poterant, ad illud tempus reservanda censerent, quo hostes victores cum classe ad urbem adventarent, id est ad illud tempus, quo pecunia, quia naves illae centum non iam erant, nihil eis prodesse poterat? An tam ridicule religiosi erant Athenienses, ut legem dissolvere non auderent? Sed multo minore necessistate coacti centum navibus illis usi erant.

Deinde, si Athenienses ad novas naves aedificandas et ad reliquas instruendas et reficiendas ducenta talenta impenderant, octingenta iis talenta supererant, quae ad bellum per sedecim menses continuos gerendum suppetebant; stipendium enim singularum navium per singulos menses erat dimidium talenti[1]. Sed iam novem fere mensibus post Chii defectionem Athenienses adeo pecunia carebant (VIII, 53, 2 cf. 76, 6), ut de statu rei publicae, quem eos per centum annos servavisse ipse monet Thucidides (c. 68, 4), mutando consilia inirent, dummodo Alcibiadem reducerent et regem Persarum socium sibi facerent. Ac ne novas quidem naves satis multas aedificaverant; Thucydides enim numerum navium, quas Athenienses per sex fere menses coegerant, indicat centum et quattuor (c. 30); sed ex his iam initio Atheniensibus suppeditabant viginti naves ad Piraeum Corinthiorum obsidendum missae (c. 15; c. 20), viginti, quae in Joniam profectae erant, triginta, quae statim post Chii defectionem compleri iussae erant; sic detractis quattuor navibus ad Piraeum deletis (c. 20) summam habemus sex et sexaginta navium; restant igitur naves octo et triginta, quas Athenienses aut novas aedificaverant aut aedificatas instruxerant.

Jam cognovimus, ad quantam audaciam interpolatores progressi sint; etiam ex ipsis verbis interpolatio apparebit, neque enim γλίχεσθαι alio loco a Thucydide usurpatur et verborum coniunctio valde dissoluta est, quam Cobetius, Stahlius,

---

[1]) cf. Boeckh. St. H. d. Ath. 1,383 et locos ibi cit.

Classenus ita restituere studebant, ut particula *καὶ* deleta pro *ἔλυσαν* scriberent *λύσαντες*.

Toti autem quaestioni iam satisfactum esse arbitrarer, nisi multi atque ii doctissimi viri[1]) Philochorum ipsum gravissimum testem esse eius, quod apud Thucydidem legimus, putarent; et vix aliter poterant iudicare, cum de mille talentis vere nobis traditum esse opinarentur; citatur autem ab eis scholiasta ad Ar. Lys. v. 173 (cf Suidam s. v. *ἄβυσσος*), cuius verba ad versus Aristophaneos:

οὐχ ἇς πόδας κ'ἔχωντι ταὶ τριήρεες
καὶ τἀργύριον τὤβυσσον ᾖ παρὰ τᾷ σιῷ

explicandos apposita sunt haec:

τὸ ἀργύριον τὸ ἄβυσσον ἦν παρὰ τῇ θεῷ ἐν τῇ ἀκροπόλει, καὶ γὰρ ἀληθῶς ἀπέκειτο χίλια τάλαντα. ἤρξαντο οὖν κινεῖν αὐτὰ ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος, ἐφ' οὗ εἰςήχθη τὸ δρᾶμα, ὥς φησι Φιλόχορος ἐν 'Ατθίδι.

Quantum intellego, verba praescripta nihil nisi hoc testari possunt Philochorum fabulam Lysistratam Callia archonte doctam in Atthide sua commemorasse; reliqua scholiastae ipsi tribuo; causam autem opinionis meae apertam reor, quia scholiasta, si Philochori testimonium attulisset, nullo modo dicere potucit: *ἤρξαντο οὖν κινεῖν κτλ*, qua qarticula ipse concludit mille talenta coepta esse adhiberi; eis autem astipulari nequeo, qui neglecta *οὖν* particula verba *ὥς φησι Φιλόχορος ἐν 'Ατθίδι* non ad prius enuntiatum *ἐφ' οὗ εἰς ήχθη τὸ δρᾶμα*, sed hoc omisso ad antecedens referunt; tamen ne ita quidem, quod volunt, plane assequuntur; nam si vera esset illa interpretatio, Philochorus, quod apud Thucydidem vere anni 412 a.Chr. n. factum esse legimus, aut aestate vel hieme huius anni aut sequente demum anno accidisse affirmasset. Qui autem fieri potuerit, ut idem paene et a scholiasta et ab interpolatore fingeretur, quod nihil de ea re constat, pluribus explicare supersedeo.

---

[1]) cf. Clintonium Fasti Hell. ad ann. 412. Muellerum Fr. H. Gr. s. Philoch. fr. 116. A. Kirchhoffium z. Gesch. d. ath. Staatssch. p. 25.

Sed priusquam disputatiunculam nostram ad finem perducamus, non ab re videtur esse strictim exponere, cui ea, quae interpolata esse docuimus, attribuamus. Cogitari autem potest haec profecta esse aut ab editore operis Thucydidei aut ab inferioris aetatis grammaticis. Atque editoris quidem manum imprimis Wilamowitzius multis locis deprehendisse se putat (l. c.); H. Lipsius autem sagacissime illius viri explicationem impugnavit,[1] cui paullo post idem v. d. respondit.[2] Quod vero ad nostros locos attinet, de editore propterea non cogitabimus, quia per se parum probabile est, cum neque Thucydides neque aequales eius aut, qui aetate inferiores erant, unum et continuum esse bellum Peloponnesiacum iudicarent, solum editorem ita sensisse; si singula consideramus. ostendisse mihi videor annorum adnotationes post Xenophontem, quin etiam post Dionysium et Diodorum aut eius auctorem additas esse: ac ne ea quidem, quae de mille illis talentis et de opibus Atheniensium an. 415 plane exhaustis falso affirmantur, editori assignabimus.

---

[1]) Leipziger Studien 1885 p. 161—170.
[2]) Thucydid. Daten Herm. XX p. 477—490.

VITA.

Natus sum, Carolus Boltz, Ueckermuendii, in oppido provinciae Pommeraniae, die XII m. febr. an. h. s. 64 patre Henrico, matre Ludovica e gente Fahrenwaldt, quorum, patre morte abrepto gravissime doleo, matre superstite gaudeo; fidem profiteor evangelicam. Cum parentes Berolinum transmigrassent, an. 1871 receptus sum in scholam civilem, tum vere an. 1873 in gymnasium Friddericianum. Vere an. 1881 civibus universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis adscriptus audiebam per octies sex menses vv. dd. Breslau, Curtius, Diels, Dilthey, H. Droysen, Hirschfeld, Huebner, Kirchhoff, Mommsen, Vahlen, Wattenbach, Weizsaecker, Zeller, interfui exercitationibus vv. dd: Diels, Hirschfeld, Huebner, Kirchhoff. His omnibus viris hoc loco gratias ago, imprimis H. Diels, qui semper studia mea magna benignitate prosecutus est.